



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLUM LXVIII.

Ulysses Palamedem fraudulenter circumvenit.

Homerus loc. citat. Aeneid. l. 2.

Ethicè.

1. Invidia perdit viros bonos. 2. Lingua pseudopolitica.

Suprà memoravimus fictitiam Ulyssis insaniam fuisse à Palamede manifestatam, objectò aranti Ulyssi eius filiò ; hinc prima odii scintilla. Altera conflata est ex frumentatione. Nam cùm à Græcis Ducibus Ulysses in Thraciam frumentatum missus esset, & nihil inde attulisset; Palamedes eòdem ablegatus, plurimum frumenti advexit. Quemobrem Ulysses invidia stimulis agitatus, adulterinam Priami Regis Trojanorum nomine epistolam scribit, in qua proditiōis gratias agebat Palamedi, commemorabátque secretum auri pondus esse transmissum: id quod ipse Ulysses, per corruptos servos, in tabernaculo eius defodi curárat. His litteris in concilio Græcorum recitatis, Palamedes proditiōis accusatur. Ibi Ulysses reo adesse simulans, hostilibus litteris nihil fidei habendum contendit: easque re ipsa facillè fraudis posse coargui, si Palamedis tentorium perscrutarentur: in quo si aurum reperiretur, nullum ipsum supplicii genus recusare. Missi itaque ad tabernaculum scrutandum, dum omnia vafre explorant, etiam terram eruunt, & inveniunt aurum infossum. Palamedes veluti proditiōis convictus, lapidibus obruitur. Vir fuit ingenio, manúque strenuissimus: plerasque litteras alphabeti Græci reperit; latrunculorum præterea lusum, & mensurarum ac ponderum rationes excogitavit; itémque calculos seu suffragia, quibus in deliberando, judicandóque utimur, invenit. Insuper peritus Astrologiæ fuit, annúmque ad cursum lunæ accommodavit: primúsque in castris, visam atque reformidatam Solis eclipsin, naturalem minimeque timendam esse docuit. Ordinem quoque aciei, & tesseras, hoc est, Symbolum bellicum, & vigiliis adinvenit. Quæ omnia à gruibus avibus fertur didicisse. Illæ enim non nisi acie instructæ volant, electo duce, quem sequantur; depositisque in extremo agmine, qui gregem voce contineant, & qui noctu, cæteris dormientibus excubias agant. Inter volandum etiam mutatis subinde ordinibus, litteras quasdam videntur effingere: quas etiam primus ab

E e e

e i s

cis observasse fertur Palamedes. Hinc grues, *aves Palamedeae* dicuntur. Post interitum eius Græci ipsum flere, & non sine suspiriis desiderarunt; qui & in tragœdia Euripidis de eo recitarunt hos versus.

ἐκάνετε ἐκάνετε τῶν ἐργῶν ἄριστον, τὴν ἔδην
αἰλύνουσιν αἰιδόνα μισῶν.

Interfecistis, interfecistis Græcorum

Optimum, nemini nocentem, lusciniarum

Musarum.

Et Virgil. 2. Æneid.

----- quem falsa sub prodicione Pelasgi
Infonem infando iudicio, quia bella vetabat.
Demisere neci; nunc cassum lumine lugent.

Ethica.

I. (a) Causa exitii Palamedis, invidia fuit, de qua disertè sanctissimus Pontifex Gregorius Nyssenus, in lib. de octo beatitud. inter alia ait: videtur mihi invidiæ atque simulationis vitium, irâ multò gravius esse: quantò occultum malum etiam apertò atrocius est. Etenim ex canibus eos magis cavemus, quorum neque latratus iram præsignificat, neque ex adverso incurfus est: sed miti pariter ac mansueto habitu, non prævidentes, neque circumspicientes nos observant. Verè Plinius lib. 31. c. 2. Periculosiores, inquit, sunt fontes, qui limpidis aquis blandientes, oculis tamen perniciem afferunt; minus formidandi, qui ipsa specie testantur aquas esse fugiendas. Difficiliùs vitantur mala, quæ boni prætextu fallunt.

Antigonus Rex Diis sacrificans, precabatur, ut se à simulatis servarent amicis: cùmque percontaretur quispiam, quamobrem tale quid à Diis optaret: *Quia inquit, hostes, cùm cognosco, caveo.* Juxta Magni Leonis dictum. *Plus plerumque periculi est in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto.* Insidiator est, qui sub amici fronte, inimicum intus alit, qui amorem oculis, fronte, verbis loquitur; odia pectore circumfert, quæ, opportunitatem nactus, effundat in nimis credulam mentem. In hunc quæ robora sufficiant? quæ prudentia satis caveat? Incauta ferè generositas est. Et, quò fortior quisque, quò animo celsiore (qualis erat Palamedes) hoc magis insidiis patet, ex se enim cùm metiatur omnes, candorem suum legit in omnibus; nec metuit dolos, quibus caret, ignoratque insidias, quas nullas defert, nulli parat: indignas enim arbitratur viro
forti

(a) *Invidia malum perdit viros bonos.*

forti fraudes; & dolis se tegere, cum viribus possit, ignavissimi pectoris esse putat. Hanc malignitatem scelusque nefarium objecit Ajax Ulyssis, in illa nobili Achilleorum armorum petitione. 13. Metam. Dictys Cretensis de Palamedis nece sic scriptum reliquit. Per id tempus Diomedes & Ulysses consilium de interficiendo Palamede ineunt, more ingenii humani, quod inbecillum adversum dolores animi, & invidiæ plenum, anteiri se a meliore, haud facile patitur. Meminit huius Palamedis injuste occisi etiam Socrates apud Xenophontem in Apologia. Non enim mihi (quod innocens moriar) sed condemnantibus hoc turpe: solatur autem me & Palamedes ille, non dissimiliter condemnatus, cui majores laudes ex injuria Ulyssis obvenerunt. Nimirum invidiæ filia est calumnia, hæc opprimit innocentiam. Siracides cap. 28. *Multi ceciderunt in ore gladii, non sic quasi interierunt per linguam.* Id est, plures occidit lingua maledica, calumniatrix, insidians, necem machinans, quam gladius: nam illa vitam simul ac famam, false criminando aufert.

II. (b) Artes pseudopoliticas egregie versipellis Ulysses expressit. Horum hominum lingua, dolosus ignis est, sub quieto cinere; falsa, simulata, insidiosa pax; malacia in occasionem ultionis intenta: umbra fœderum, simulas, officii ostentatione blandiens simul, ac sæviens. Symbolum linguæ huius politicæ est hoc. (c) Crocodilus tergo insidentem vehit felem, addita hac inscriptione: *Flemus & mulcemus, ut fallamus.* Nam Crocodilus antequam hominem invadat, & glutiat, lacrimas emittit. Et felis insidiosum & astutum animal, nunc pedes lambit, nunc pelliculam linguam extergit, nunc pectus aut tergum polit, seque totam assidue comit, nihil ut illa sit cultius atque comptius; semper tamen armatos habet ungues, & ad nocendum paratos. Talis Ulysses fuit, tales etiam hodie, præsertim in aulis Principum frequentes Crocodili & feles occurrant, ubi invidia quotidiana, plurimæ assentandi & calumniandi occasiones; alii in alios varias nocendi vias comminiscuntur, & sub veri specie, *Veritas* opprimitur. *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Ait expertus Vates psal. 13. In aquis latet crocodilus, anguis in herba; in aulis lingua; quæ quod est dulcior, hoc est virulentior. Monet Sapiens Proverb. 2. *Ut eruaris à via mala. Cuius? qui perversa loquitur. Qui relinquunt iter rectum & ambulat per vias tenebrosas.* Sic ambulant illi, qui aliud corde clausum, aliud ore promptum habentes, per tortuosas ambages quærunt, quem, quod diabolus (id est calumniator) facit, devorent. Tali homini in os ingeras, quod Maronianus pastor suo contribuli:

Eee 2

Etf

(b) *Lingua pseudopolitica.* (c) *Crocodilus.*

Etsi non aliquà nocuisset, mortuus esset. Eclog. 2.
 Id Ulysses propositum sibi habuit: id effectum dedit. Siracides c. 6.
 monet: *Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende.* Maxima
 sunt enim in ipsis amicitii insidiæ. Hinc illud Poëta:

Fallere difficile est inimicum: at amicus amicum

Fallere non magno Cyrne labore potest.

Antigonus Rex, teste Plutarcho, quotidie Deos rogabat, ut se ab
 amicis protegeret: rogantibus, cur non potius ab inimicis, respondit:
Quia hos cognitos vitare possum: illos verò fectos & fucatos cavere non possum.
 Tu igitur ne fide; serpentibus cincti sunt amici falsi; venena spargent:
 ne crede fronti, nunquam magis nocent, quàm dum blandiuntur, rident?
 sanguinem meditantur. Laudant? damnant animo, insidias intentant.
 Consilia suggerunt? ne tange, in interitum eunt. Fuge lupos sub ovil-
 la pelle, illabuntur suaviter, & antè vulnerant, quàm dentem senseris.

S Y M B O L U M L X I X.

Vlysses Polyphemum Cyclopem exoculat,

Æneid. 3. Metam. 13. Homerus lib. 9. Odyss.

Ethicè.

1. Ingenium præstat robori.
2. Somnolentia & negligentia pasto-
rum.
3. Cyclopis donum quale.
4. Crudeles tyranni.

Cyclopes *Neptuni & Amphitrites* filii, ministri Vulcani, Jovi sua ful-
 mina, Neptuno tridentem, Plutoni galeam, heroibus arma fabri-
 cabant. Dicitur sunt ab unico oculo, quem in media fronte habe-
 bant. Incoluerunt eam Siciliæ partem, ubi mons *Ætna* flammam ejacu-
 latur. Immani sunt barbarie, & proceritate portentosa. Inter hos, ut
 vastitate corporis, sic atrocitate animi eminebat *Polyphemus*,
 Monstrum horrendum, informè, ingens, cui lumen
 ademptum.

In quo voracitas cum crudelitate certabat.

Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat:
 Lanigeræ comitantur oves; ea sola voluptas,
 Solamèque mali, de collo fistula pendet.

Pastorem